



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

19. S. Petrus de Alcantara

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

*Utinam vitâ meâ prædicem te, Virgo!  
Quantum prædicanda es! Utinam dili-  
gam, quantum diligenda es! Utinam ser-  
viam tibi, sicut serviendum est gloria  
tuâ!*

*Instructio meritoria.*

Ut concedat, quod petimus & opta-  
mus, Maria, quoties transibimus hodie  
Imagines Beatissimæ Virginis, toties sa-  
lutabimus flexis genibus pronuntiantes  
corde, & ore: *Monstra te esse Ma-  
trem, sumat per te preces, qui pro nobis  
natus, tulit esse tuus.*

Festum S. Petri ab Alcantara

Veri poenitentium speculi ex Or-  
dine S. P. Francisci.

EXHORTATIUNCULA I.

**P**AUPER pauperem secutus est Jesum,  
relictis, quæ vana, & inania vidit  
in sæculo. O quàm providè, & sapien-  
ter! Audiit videlicet pius Petrus ex ore  
Christi: *Qui non est mecum, contra me  
est; & qui non colligit mecum, dispergit.*  
Ut quid igitur dividimus corda inter  
Christum, & corruptum sæculum? Jesus

cor respuit divisum, & vel totum, vel nihil habere cupit.

*Instructio meritoria.*

Tandem nos ipsos ex toto donemus, ut totum possideamus Deum. Ut fiat, de superfluis, sive in cibo, & potu, sive de vestitu, & somnô in venerationem Crucifixi Redemptoris, & S. Petri nobis aliquid subtrahamus, & pauperum recordemur. Sufficit homo (rem miram!) Deo: Et Deus non sufficit homini. Quæ hæc turpis avaritia?

II.

**S** Petrus sacri Ordinis expleri non potuit rigoribus. Creverat indies patiendi fitis. Hunc & auxit, illisque graviores addidit. Et hæc amore seriæ pœnitentiæ, ac satisfactionis. O dilecte fili! Pœnitentiam agere necessariò nos oportet, vel in hac, vel in vita altera. Utrum optamus? Eligamus modò, dum possumus. Tempus veniet, quò haud poterimus. Tum flebunt oculi. Rugiet pectus. At frustra! Non admittet Dei misericordia. *Vocavi vos: & renuistis.*  
In-

*Instructio meritoria.*

Utamur tempore pro fructibus datô  
pœnitentiæ. Utamur præsertim hac  
die: Et quidquid molestiarum, & con-  
trarietatis vel ab homine, vel à cœlo,  
aut universis elementis evenerit nobis,  
æquô, promptô, & hilari sustineamus  
animô, & per manus S. Petri offeramus  
Deo in compensationem multiplicium  
peccatorum. Porrò per septem dies  
quotidie recitemus unum psalmum ex  
pœnitentialibus. Recitâsse pœnitebit  
nunquam: Non repetiisse, sæpiùs.

III.

**T**Antô erga Deum, & proximum  
flagrabat S. Petrus amore, ut è cel-  
læ angustiis in campum prosilire aper-  
tum, æerisque refrigeriô conceptum ar-  
dorem temperare cogeretur. Chare!  
Quid nos pro Deo? Aut proximô?  
Utrumque vix non ignoramus. Hic  
amor, quem debemus amanti? Indi-  
genti? Minus amat, qui extra Deum,  
& proximum aliud diligit, & desiderat.

*Instructio meritoria.*

Ut Deus in toto agnoscatur, & ame-

tur terrarum orbe: Ut & peccatores recedant à viis suis pessimis; Boni verò & justi magis & magis proficiant in spiritu, sanctitate, & justitia, sacrum & rosarium hodiernum in hunc finem applicemus. Ah! cur non ardeat pro Deo cor nostrum, quando cœlum, & terra veniunt in nostrum obsequium? Fili mi! nil magnum, nil altum, nil gratum, vel acceptum sit nobis nisi purè Deus, aut de Deo sit, Gersen.

Festum SS. Ursulæ, & Inclytæ  
Societatis Ejus.

EXHORTATIUNCULA I.

**O** Prudentes Virgines! Aptarunt lampades! Ierunt, mortuæ sunt, sed castæ, sed innocentes. Hic mos sponsarum Christi! Malunt perdere omnia, modò animas salvent. O fili! Quid prodest homini, mundum si universum lucretur; animæ verò suæ detrimentum patiatur? Totus mundus nos possidet, & nos non possidemus nos ipsos. Quidquid sit, vel fiat de mundo, de corpore &c. Nos sapere oportet, &  
non